



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

S. Mariæ Magdalenæ festo Paraphrasis Lectionis Prouerb. XXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

lit in speculo refulget species castitatis, & forma omnis virtutis. Et D^r Hieronym. in laudibus eiusdem beatissimæ virginis ait: Habetis in ea magisteria probitatis expressa, quid primum eligere, quid respicere, quid sequi debeatis. Primum ergo discendi incitamentum nobilitas est magistri: Hieronym. deinde merces laboris optimi fructus beatitudinis. Præstet nobis omnibus benedictus fructus huius sacratissimæ Virginis & matris, ipsius meritis precibusque in præsentis sæculo suam gratiam, & post hanc vitam frui æterna vna cum ipsa beatitudine, Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto & sua dulcissima matre vivit in æternum. Amen.

IN FESTO D. MARGARETAE VIRGINIS
ac martyris Paraphrasin in Epistolam, & Exegesin
in Euangelium vna cum Sermonem quare in Fe-
sto S. Agnetis virginis & martyris.

IN SOLENNITATE BEATISSIMAE MA-
riæ Magdalenæ Lectio Proverb. XXXI.

Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de ultimis finibus
precium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit.
Reddet ei bonum & non malum, omnibus diebus vita sua. Que-
sivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.
Facta est quasi nauis instroris, de longe portans panem suum.
De nocte surt exit deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Consi-
derauit agrum, & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam.
Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Gustauit
& vidit quoniam bona est negociatio eius, non extinguetur in nocte lucerna
eius. Manum suam misit ad fortia & digiti eius apprehenderunt firmum. Ma-
num suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit
dormi sua à frigoribus niuis, omnes enim domestici eius vestiti duplicibus. Stra-
gulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius. Nobilis in por-
tis vir eius, quando sedet cum senatoribus terra. Sindonem fecit, & vendidit,
& circumfulcrum tradidit Chananaeo. Fortitudo & decor indumentum eius, &
videbit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientia, & lex clementia in lingua
eius. Considerauit semitas domus sue, & panem otiosa non comedit. Surrex-
erunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, & vir eius laudauit eam. Mul-
ta filia congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Fallax gratia, &
eterna est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de
fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

Præsens lectio ex libro Proverbiorum Salomonis extracta est constatque
versibus duobus & viginti, quot apud Hebræos elementa habentur, in
mm 3. eaque

T V
22

Beda.

eaque, vt Beda ait, Salamon plenè describit virtutes ac merita totius Ecclesie, vel cuiuslibet fidelis animæ. Vnde absque vlla absurditate rectè potest etiam de beatissima Maria Magdalena recitari, quæ reuera mulier fortis fuit, conculcans mundum, carnem & dæmonem, quorum Dominio diu subiacerat: de qua hodie gratulabunda canit Ecclesia in hymno quodam:

<i>Maria soror Lazari,</i>	<i>In vas translata gloria</i>
<i>Qua tot commisit crimina.</i>	<i>De vase conuulsis,</i>
<i>Ab ipsa fauce tartari</i>	<i>Aegra currit ad medicum</i>
<i>Redit ad vitæ limina.</i>	<i>Vas ferens aromaticum.</i>
<i>Post fluxæ carnis scandala</i>	<i>Et à morbo multiplici</i>
<i>Fuit ex lebetè phiala.</i>	<i>Verbo curatur medici.</i>

Psal. 1.
Galat. 2.

Sed ipsam lectionem more nostro referamus. Magna est & multiplex fragilitas, inconstantia & pusillanimitas in fœminis si naturam spectes, quæ ergo vnquam poterit fortem inuenire mulierem, quæ infirmitati renunciet, & res magnas & arduas animo virili aggrediatur? quod quidem absque ingenti & speciali gratia sancti Spiritus fieri non potest. Procul & de vltimis finibus, ex ipso cælo empyreo pretium eius, nempe Dominus noster Iesus Christus, de quo Psalmista canit: *A summo celo egi esio eius.* Et Apostolus: *Id est, inquit, viro Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Christus enim est pretium nostrum, quo ab æterna morte redempti sumus. Cõfidit in ea cor viri sui, id est, Dñi Iesu, qui est vniuersiuiusque fidelis animæ vir, de quo Apostolus ait: *Despondit vos viro viro virginem castam exhibere Christo: qui confidit in anima sancta, certus eam probè suo officio funduram.* Multa quoque ei & magna præstat beneficia, virtutes, dona, charismata, cõfidens eam illis omnibus non elatum iri, sed rectè vsuram. Vnde etiam spolijs non indigebit, abundans nimirum diuitijs internis, sed & externis facultatibus prædita, quantum illi satis est, aut expedit. Non enim inuertitur, sed sedula sibi suisq; victum parat. Quod est contra vagas, otiosas, garrulas mulieres, quæ sæpe ex desidia eo rediguntur, vt turpibus studijs tanquam spolijs victum sibi quarere cogantur. Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ, semper laudes gratesq; Deo pro perceptis ab eo beneficijs, & abstinens à peccatis quibus offenditur Deus. Improbi verò mala pro bonis reddunt Deo, quãdo illius benignitate contempta eius præcepta violant, illiq; obtemperare nolunt. Sic nostra Magdalena reddidit Christo bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ, quando illius gratia cõuersa persistit in iustitia, nec recidit in iniquitatem, sed multo anuis sanctissimam & ab hominibus prorsus remotam egit vitam. Quæ fuit lanam & linũ, vnde vestes conficeret in vsus pauperũ ac miserorũ, operans consilio manuum suarum vt habeat vnde tribuat necessitatem pauperibus. Decet enim fœminas semper operis quippiam agere, ne pateant malis desiderijs & insidijs diaboli. Quæ fuit etiam lanam & linum, id est, veram innocentiam, & castitatem, quibus nisi prædita sit mulier, non nisi rete diaboli est & sentina vitiõrũ. Facta est quasi nauis infitoris, plena videlicet spiritualibus diuitijs & charismatibus Spiritus sancti, quæ rursus in proximorum vsus expendit, non contenta sibi vni prodesse, sed multis: portatq; de Iou.

Christus vt dicatur vitæ fidelis animæ. 2. Cor. 11.

Ephes. 4.

de longe panem suum, colligens sibi vndecunque atque proponens exempla & rectè facta sanctorum hominum, quibus haud secus anima ad virtutes colendas confortatur atque nutritur, quam corpus pane. Habent enim mirabilem energiam viua aliorum exempla, plusq; factis quam verbis moveri solemus. De nocte surrexit, faciens quod hortatur Hieronimas: *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* Namq; sanctus amor pigritiam odit, somnum superfluum respuit, tempusq; omne quod virtuti non impenderit, amisisse se putat. Surgit etiam in nocte tribulationis, confugiens precibus ad Deum suum. Deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis, reficiens subditos suos siue cæteros fideles optimis monitis, pijsq; institutionibus, & diuinæ scripturæ sententijs, de quibus Propheta ait: *Labor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Considerauit agrum patriæ cælestis, vbi visuri sumus bona Domini in terra viuentium, & emit illum peccata admissa plangendo, atque à peccatis abstinendo, & diuinam semper exequendo voluntatem. De fructu manuum suarum, id est, piarum actionum, & sanctarum exhortationum, plantauit vineam multas Domino animas lucrificans. Ita beatissima Magdalena seruētissimis sermonibus suis & sanctissima viuendi ratione optimisque exemplis plurimos conuertit ad Dominum. Accinxit fortitudine lumbos suos, carnis petulantiam fortiter præmens, & continentia fræno corpus stringens, sicut ipse Dominus monet. Sint, inquit, lumbi vestri præcincti: & roborauit brachium suum, animo virili ardua quæque aggrediens, & carnem subdens spiritui. Gustauit affectu, & vidit intellectu, quia bona est negociatio agri cælestis, cuius amore contempsit caduca omnia, & vt sterora execrabatur. Non extinguetur in nocte aduersitatis lucerna fidei & charitatis eius, gratiaq; diuinitus infusa, sine quibus anima in tenebris est. Manum suam misit ad fortia, non contenta languere circa communia, aut sola exequi mandata, sed angustam consiliorum amplexa semitam, cum propheta custodit vias duras, & cum Apostolo in anteriora se extendit: & digiti eius apprehederunt fusum, vt quotidianum sanctæ seruitutis Domino pensum soluat: atq; etiam vt fugiat otium, & de labore manuum suarum sese & alios sustentet. Siquidè manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem, gaudens & gratulans se in paupere Christum alere, Christo benefacere, Christum sibi demereri. Nouit enim in actibus charitatis & pietatis consistere summam Christianæ religionis. Væ igitur auaris, qui Christum in miseris & egenis sustentare negligunt, quasi non habeat Christus, vnde eis possit abundè restituere. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Omnes enim domesticus eius vestiti duplicibus. Beatissima Maria Magdalena, quæ seruētissimo accensa amore omnè à se timorem seruillem excluserat, non timebat seruiliter domui suæ, hoc est, animæ suæ à frigoribus niuis, id est, tentationibus demonum, vel impugnationibus vitiorum, aut persecutionibus impiorum, quandoquidem omnem animæ suæ familiam duplici vestierat charitate, nempe Dei & proximi: de qua in Canticis dicitur: *Fortis est vt mors dilectio.* Et: *Aqua multa non poterunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam.*

Exempla viua quantam habeat energiam. Thren. 2.

Psal. 118.

Psal. 118.

Lucæ 12.

Math. 7.
Lucæ 12.
Psal. 118.

Philip. 3.

Summa Christianæ religionis in quo consistat.

Cant. 8.
Ibidem.

Sragulatam vestem multiplici virtutum, charismatum & bonorum actuum varietate conspicuam fecit sibi, byssus innocentia & castitatis, &

T. V.
22

Cingulum tradere Chanaan qd fit.

Aphe. 4.

1. Theff. 3.

Sapient. 1.

Rom. 5.

purpura charitatis, qua virtutes omnes & exornantur & perficiuntur, indolentium eius. Beata anima quæ his rebus virtutibus est. Nobilis in portis, id est, extremo iudicio (olim namque in portis fiebant iudicia) vir eius, Dominus Iesus Christus, quando sederit cum senatoribus terræ, sanctis Apostolis & cæteris perfectis viris ad iudicandos viuos & mortuos. Tū enim omnes pariter illius intelligēt maiestatem, & velint nolint verum Deum, quæ summa nobilitas est, confitebuntur. Sindonem fecit, & vendidit, præbens omnibus in se purissimæ castitatis exempla atque ad sui imitationem prouocans: & cingulum tradidit Chanaan: homines à Deo alienos inuitans ad pœnitentiam & arctiorem vitam, quæ potest per cingulum accipi, quæ corpus stringitur. Vel cingulum tradidit Chanaan, quando Christi ex Chanaanorum terra oriundi seruitio se mancipauit. Fortitudo & detorquendum eius: siquidem constantiam in aduersis retinet, & mores compositos atque honestos ubique sectatur & ridebit in die nouissimo ob conscientie securitatem, quam præstat vita sincera & inculpata. Os suum aperuit sapientie, nihil vnquam futile, nihil superuacaneum, nihil stultum aut scurrile proferens, sed quod sit ad ædificationem fidei vt det gratiam audienti: & lex clementie in lingua eius, qua consolatur afflictos, imbecilles, fragiles, tentationibus prægrauatos, quibus pia consolationis fomenta adhibenda sunt, ne abundantiori tristitia absorbeantur. Considerauit mitas domus suæ, & conscientie suæ latebras omnes perspexit, panemque otiosa non comedit. Non enim otio torpentibus, sed fortiter decertantibus datur regnum cælorum. Sed & Apostoli ea verba sunt, vt qui non laborat, nec manducet. Et hic vtilissima institutio est, vt vnusquisque sese nõ alio consideret. Habent enim singuli sua vitia, quæ si bene attendant, incursum erunt alienorum. Surrexerunt filij eius, qui eius vel verbis vel exemplis ad Dominum conuersi sunt & beatissimam prædicauerunt, tum ob eximie gratie dona, quæ percipit in præsentia, tum ob futuram gloriã in cælis illi repositam: & vir eius, id est Christus laudauit eam, dum laudabilem reddidit, & olim etiam in cælis coram sanctis omnibus laudabit. Multæ filie, sanctæ Ecclesie congregauerunt diuitias virtutum & meritorum: at tu beatissima Maria Magdalena omnes pene supergressa es, excellentissime coronata in cælis. Fallax gratia & fauor humanus, & vana est corporis pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, vt ex ijs quæ gessit in corpore metat vitam æternam, & laudent eam in portis extremi vel particularis iudicij opera eius. *Honorum enim operum gloria est fructus.* Impij autem qui hic bene operari negligunt, non laudem, sed ignominiam sempiternam referent ex se ceteris suis.

EXEGESIS EVANGELII IN eodem Festo Luca VII.

IN præsentis diei Euangelio fratres charissimi, proponitur nobis exemplum veræ pœnitentie in beatissima Maria Magdalena, in qua sicut abundauit iniquitas, ita abundauit & gratia, quam Christus pro sua benignitate totam conuertit ad se, vnico gratie suæ, sed singulari valde respectu,

spētu, adeo in ea veterem extinguens hominem, peccandi que destruēs consuetudinem, vertensque illi in nauseam quicquid prius malè dilexerat: denique tanta cum inflammans charitate, vt inter præcipuos sanctos merito numeretur. Quam magna multitudo misericordiæ tuæ Domine Iesu, quæ inestimabilis altitudo sapientiæ tuæ, quam incomprehensibilis virtus potentia tuæ, qua tantis iniquitatibus tam facilem dedisti veniam, tam longè & miserè aberrantem ad vitam reduxisti viam, tam inexplicabilibus irretitam nexibus vitiorum, omnino reddidisti liberam & absolutam. In his omnibus tuam Domine prædicamus bonitatem, tuam effertimus clementiam: quia toto ad te corde conuerti post admissa peccata non volentis est neque currentis, sed miserentis gratia tuæ. Atque vtinam tua efficias gratia, vt hoc tam memorabile poenitentia exemplum omnes peccatis deditos ad meliorem animum reuocet, quibusque liceat imitari peccatricem mulierem, libeat etiam imitari poenitentem discipulam tuam. Non enim propterea memoriæ posterorum commendari voluisti misericordiæ tuæ viscera, quæ in beatissimam Mariam Magdalenam declarasti, vt simus ad peccandum audentiores sed vt ad agendam poenitentiam efficiamur alacriores. Plane, inquam, dilectissimi insignis nobis hodie peccatrix, sed eadem toto animo poenitens Euangelica lectione depingitur, vt & nos declinemus à malo, & faciamus dignos poenitentia fructus. Alioqui ad maius iudicium nobis erit Mariæ Magdalena poenitentia, si nos pigeat illam pro modulo nostro imitari. Atqui ipsum age Euangelium inspiciamus.

Psalm. 10.
Rom. 11.

Rom. 9.

Psalm. 116.
Matth. 5.
Luc. 11.

Rogauit Iesum quidam de Phariseis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei, discubuit.

Phariseorū Dominus Iesus multas semper insidias perpeffus est. Publicellum calumniabantur, occultè illi derogabant: quandoque blanditijs eum demulcebant, sed vt velut incautum grauius vulnerarent & tamen quamuis eorum erga se malitiam & inexpiabile odium non ignoraret, nihilominus non refugit eorum conuiuia, si qua forè ratione eos à sua dementia potuisset reuocare. Dolebat eorum insaniam, sed quia non tam infirmitate, quæ destinata malitia eum persequebantur, difficile curari poterant. Caueamus ergo inuidiam, quæ miseris scribas & phariseos, ludæorumque pontifices eo miseræ, imo malitiæ adduxit, vt vitæ autorè perimere non dubitarent. Ingressus est igitur Dominus domum Pharisei non tam manducandi causa, quam illum conuertendi. Quamquam etiam hic notandum sit Dominum propter nos cum diues esset tantam subisse inopiã, vt etiam hostium suorum nempe phariseorum voluerit cibis sustentari.

Phariseorum
in Christum
insidiæ & do-
li inexplicabiles,

2. Cor. 8.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo Pharisei, attulit alabastrum vnguenti.

Mulier hæc non alia fuisse credenda est, quam soror Lazari, tamen si quidam diuersum sentire videantur. Sufficiat nobis ita sentire Romanam Ecclesiam, pluresque doctissimos & sanctissimos patres. Peccatricem autem eam fuisse & quidem insignem declarat Marcus, dum ait ab ea septem de-

Mulier que-
nam reuera
hæc fuerit.
Marc. 14.

nnn moma,

T. V.
22

Peccatrix cur
dicta fuerit
Maria Mag-
dalena

Matris Mag-
dalene in
conuersione
quale fuerit.

Confessio
Marię Mag-
dalene pub-
lica qualis.

Pœnitentię
perfectę for-
ma qualis
esse debeat.

Modus pœni-
tendi B. Ma-
rię Magdale-
ne quam su-
erit mirabi-
lis.

monia, id est, vt Patres exponunt, vitiorum vniuersitatem esse expulsam. Erat autem diuicijs & delitijs effluens, quæ res vberem illi peccandi materiam suppeditabant: iamq; illius vita dissoluta incantum apud omnes divulgata erat, vt peccatrix diceretur. Quod autem corde compuncta, venit ad domum Pharisei, non casu illi euenisse putandum est, sed quod Dominus forte audierit concionantem. Facile autem potuit Dominus Iesus verborum suorum aculeos in illius cor defigere, eamque penitus animo sauciare, lacisq; suæ radijs illustrare tenebras mentis eius, vt turpitudinem suam, vitæq; pericula agnosceret, atque ex ijs agnitis terrore concussa, sui emendationem meditaretur. Tracta est igitur prius à Domino, vt veniret ad audienda verba illius. Non enim venisset, nisi traheretur. Si autem non venisset, misericordiam non esset consecuta, quia nec penitentia egisset, ad quæ agendam incitata & compuncta est sermonibus Saluatoris. Sed mirum est quod nulla habita neq; conuiuij, neq; conuiuarum ratione, confusione contempta ingressa est alienas ædes, & alijs epulantibus, ipsa lachrymis sese afflixit. Verum fecit hoc intima peccatorum suorum agnitio & vehementissimus dolor, quod Deum suum tam dire offendisset: & quia publice peccauerat, multisq; fuerat peccandi occasio, publicam quoque non erubuit agere penitentiam, nihil magnopere quid de se sentirent homines sibi curandum putauit, tantum vt posset cum Deo redire in gratiam. Vicit pudorem ingens dolor & amor, quantoq; vehementius intus ponderabat peccati sui turpitudinem, tanto minus foris erubescere coram hominibus plangere quod perpetrauerat. Itaque attulit secum alabastrum vnguenti. Noluit enim vacua venire ad Dominum, sed quem multipliciter offenderat, multis officiosissimæ humanitatis obsequijs rursus delinire contendit. Vnguentum quod contra Dei voluntatem suo corpori male adhibuerat, iam venit effundere in pedes Saluatoris.

Et stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius & vnguento vngebat.

Hæc est forma veræ pœnitentię, vt qui se prius exultit per superbiam, per humilitatem sese deiciat. Humilis enim & verecunda debet esse satisfactio, per quæ emendatur superba transgressio. Maria Magdalena quæ prius frontem perfricauerat, & absq; vilo rubore volutabatur in sordibus vitiorum, neq; Deum neq; homines verita, iam verecunda domum pharisei ingreditur, nec tamen se iungit conuiuantibus, sed demisso vultu, lugubri corde sese abiecit ad pedes Domini Iesu, idq; à tergo, non ausa scilicet in facie illius conspectumq; venire, quem se nouerat tam impudenter contempnisse. Deinde lachrymis lacus habenas, magnam earum imbrem sudit in pedes Dñi hand dubie puluerulentos & cœnosos, eo quod nudus pedes eius Dñs semper incederet, luæ pœnas nostris sceleribus debitas, rigauitq; pedes lachrymis, & capillis capitis tergebat quos lauerat, & ore osculabatur, & vnguento vngebat. Ita ergo membra corporis quibus ante peccauerat, iam pœnitentię studijs castigat. Oculos dudum lasciuos, iam lachrymis affligit: Capillos ad illaqueandas animas meretricio ornatu cõpõtos, nunc ad tergendas sordes peccati sui ter-

sui redemptoris ore prius impudico, nunc eosdem frequentissimè & humilimè oscularur: vnguentū deniq; in Dñi pedes effundit, ijs omnibus id reuera significans, quod se totam suāq; omnia Deo opter velitq; impendere, & priorē infidelitatē & ingratiitudinē suam summa cū fide & gratitudine cōpensare.

D. Gregorius in hunc locū scribēs, Quor, inquit, in se habuit oblectamēta, tot de se inuenit holocausta. Cōuertit ad virtutū numerū, numerū criminū, vt totū seruiret Deo in pœnitentia quicquid ex se Deū contempserat in culpa. D. quoq; Cyprianus sermons de ablutione pedū elegantissimè hanc Mariæ Magdalenz pœnitentiā commemorat, dicens ad Dominum: Hoc in muliere peccatrice aliquando passus est: nec dedignatus es in mēsa solenni multis conulescentibus infamis personæ suscipere salutariū, cuius deuotio vsa est tibi capillis pro linceo, oculis pro catino, lachrymis pro baptismo. Tergit, lauit & vnxit vnguento. Maciata intrinsecus anima propriū in sancta sanguinem inulit: singula suū præbere ministeriū. Cor contritū erupit in lachrymas, fides lauit, charitas vnxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis stertus hausit quos protulit, de pœnitentiæ pyxide vnguentū quæ obtulit, caputq; pro suppedaneo strauit, crinibus circumfusis pedes sacros inuoluit & terxit. Nihil sibi de se retinens, totam sese tibi deuouit, & tu ass. dum potius quam factum attendens, vngebas vnguentem, abluēbas lauācē, tergebas intrinsecus pœnitentem. Hæc ille. Sed quid hæc nosse iuuat, nisi imitanda suscipiamus? Pro publicis criminibus publicam esse agendam pœnitentiam hoc exemplo docemur. Qui enim alios suis exemplis pertraxit ad vitia, sua quoque pœnitentia debet quos euerit aut saltem euertere potuisset ad sui emendationem prouocare. Sic David sanctus pro perpetrato adulterio & homicidio qualem egerit pœnitentiā ipse de se locuples testis est multis Psalmodum locis, vt vbi ait: *Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meū rigabo.* Item: *Miser factus sum & curuatus sum vsque in sinem, tota die contritus ingrediebar. Afflictus sum & humiliatus sum in nimis, rugiebam à gemitu cordis me. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Cuius pœnitentiā D. Hieronymus in Fabiola sic describit: David sancti & mansuetissimi vici homicidiū pariter & adulterium, septem dierum emendabat fames iacebat in terra, volutabatur in cinere, & oblitus regiz potestatis, lumen quærebat in tenebris: illumq; tantum respiciens, quem offenderat, lachrymabili voce dicebat: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Et: *Redde mihi letitiam salutarem tuam, & spiritu primum meo confirmam me.* Atque ita factum est, vt qui me prius docuerat virtutibus suis, quomodo stans non caderem, doceret per pœnitentiam, quomodo cadens resurgerem. Hactenus ille. Olim fides, vt diuinum possent anteuertere iudicium, & ipsi potius in se punire quod perperam admisissent, quam diuinæ iustitiæ puniendum seruarent, etiam pro occultis criminibus quandoque aut ipsi vltro exigebant, aut à sacerdotibus oblatum non respuebant publicæ pœnitentiæ salutare remedium.

Sed hodie etiam impune grauissima admittuntur flagitia, nec tamen pœnitentiæ pharmacum queriter, imo etiam oblatum contemnitur. Vnde mala innumera proficiscuntur. Videat quisque, ne sibi ipsi imponat. Qui hic pro manifestis sceleribus non vult congruam agere pœnitentiam, quādo-

Gregorius.

Cyprianus.

Pœnitentiam publicā quādo quis agere debeat.

1. Reg. 11. Psalm. 6.

Psalm. 17.

Hieronym.

Psalm. 50. Ibidem.

Pœnitentiæ agendi olim modus quis fuerit.

Hebr. 10. Job 24.

T V
22

Lucæ 13.
Christus qui-
nam pro pec-
catis nostris
satisfecit.

Ezech. 11.

Cyprianus
Sermo de
ped. in ablu-
tione.

Greg. rius.

Iudicium te-
merarij du-
plex hunc
paritatem
tulisse hoc in
1920.

Lucæ 6.
Matth. 7.

Iudicare a-
lios leuiter
quam sit pe-
ccatorum &
impium.

Rom. 14.

que incidet in manus Dei viuentis, qui nihil patietur inultum abire. Magna quidem est misericordia Dei, & Christus Iesus abunde satisfecit pro peccatis nostris, at nihilo minus ipse Dominus in Euangelio clamat: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes peribitis.* Quid tibi blandiris homuncio de Christi satisfactione, de Dei misericordia, si illius nobis iussa exequi? Vult ille ut pro peccatis agas poenitentiam, & tu semper in vitijs iacens audes illius satisfactione contentus esse? Obsecro dilectissimi sequamur poenitentem Mariam Magdalenam quod si non tanta nobis inest cordis contritio, precibus eam à Deo impetrare nitamur. Hoc ipsum nobis grauitate doleat, quod non dolemus. Interim clamemus ad Dominum ut auferat à nobis cor lapideum, & det nobis cor carnis. Certè non fraudabimur desiderio nostro, si in prece perseuerauerimus. Quid verò consilius quid magis necessarium esse queat homini, quam ut per poenitentiam castiget mala quæ fecit, dum adhuc viuere licet, ne inopinata extinctus morere, cum peccatis suis mergatur in chaos tartareum, vbi nulla est redemptio? Sequitur:

Videns autem Phariseus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta sciret utique, quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum: quia peccatrix est.

Ecce superbus & leprosus Simon superbo oculo diuini clementiz, ut ait D. Cyprianus, diligentiam non potest intueri, sed moleste fert, quod tangit se à peccatrice Dominus sustinet. Qui si lepræ suæ ipsum Dominum accideret mundatorem, non dedignaretur, si de plenitudine gratiæ eius aliquid accipiant, si lauat immundos, si iustificat impios, si reuocat exules & abiectos. O verè superbum Phariseum, qui, ut ait D. Gregorius, non solum venientem peccatricem mulierem, sed etiam susipientem Dominum reprehendit videlicet veraciter apud se superbus & fallaciter iustus. Aegrum reprehendit de ægritudine, medicum de subuentione, qui ipse quoque de elationis vulnere ægrorabat, & ignorabat. Duplex autem Phariseus iste temerarium tulit iudicium. Vnum de Domino, alterum de Maria Magdalena, Dominum ob susceptam mulierem censet non esse prophetam, tantum abest, ut eum Deum credat: Mulierem autem affirmat esse peccatricem, quæ iam peccatrix non erat. Itaque in peccati prohibitionem, dicens: Nolite iudicare. Atque hinc peripicuè licet animaduerti, quantum iudicium omne vitandum sit. Phariseus certo nouerat mulierem hanc fuisse peccatricem, & tamen errauit grauitate id de ea sentiendo, quando quidem iam iam conuersa erat. Quis ergo post hac ita stolidus erit, ut quantumuis flagitiosum hominem audeat temerè iudicare, cum possit in momento totius relapsare? Quanta igitur eorum improbitas & amenitas est, qui se ipse ex frivolis suspitionibus alios iudicant, & quandoquæ etiam aliorum bene facta in petus interpretantur? Nemo facile possit capere, quam periculosam, quam horrendam sit leuiter alios iudicare. Probat hoc istius Pharisei error, qui utique bene sentiebat eam fuisse peccatricem: sed errabat credens adhuc talem esse. Faciamus igitur, quod à Apostolo sapientissimè admonet, ita dicens: *Non ergo amplius inuicem iudicemus: sed hoc iudicare magis, ne parato offendiculum sit atri vel scandalum.* At nunc videamus quemadmodum Dominus Phari-

Pharisæum hunc, licet sola adhuc cogitatione isthæc pertractantem, de errore conuicerit, & proprio illum mucrone iugularit.

Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam sceneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Et respondens Simon dixit: Acstimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti.

Hic primo ipsum Pharisæum ad alios considerandos & iudicandos male intentum ad se reuocat, & ipsa verborum specie reddit attentum: tanquam illi diceret: Nosse te ipsum. Tantumne est ab re tua oijtibi, Aliena vt cures, eaq̃e quæ nihil ad te attinent? Hoc, inquam, Dominus efficere voluisse videtur, dum ait: Simon habeo tibi aliquid dicere. Istis enim verbis eius attentionem prouocat, simulq̃e à mulieris temeraria iudicatione sapienter abducit. Quod autem de duobus debitoribus proponit paradigma, de duobus peccatoribus intelligendum est, sed quorum vnus plus, alius minus peccauerit: dumq̃e addit sceneratorem illis non habentibus vnde redderent, vtrisque donasse debitum, Dei misericordiam exprimit nobis non habentibus vnde illius iustitiæ vnquam possumus satisfacere, peccata nostra condonantem. Quis enim illi posset vel pro minimo peccato satisfacere? Quod ergo remittit nobis, illius immense misericordiz est, non nostri meriti. Gratis iustificat nos, non tamen vt hæretici volunt, quasi nos nihil agere debeamus. Namque etiam hic dicitur quod cui plus donatum est plus diligit? Quid est autem diligere Deum, nisi eius præceptis obtemperare? Sic ergo gratis iustificat, vt tamen velit nos suis obtemperare mandatis. Nec mouere quenquam debet, quod Deus hic sceneratori comparatur. Reuera namque scenerator est, sed omnino benignissimus, qui sic à nobis vsuras exigit, vt tamen eas non in suum, sed in nostrum velit lucrum cedere. Neque enim vult in nobis otiosa esse dona sua, sed vt proferantur in opus: & tamen nihil inde illi accedit commodi: totum nobis proficit: nobis planè & seruitur & meretur. At nihilo secius vult nos esse cooperatores gratiæ suæ. Quod cum nollet seruus ille piger, qui abscondit pecuniam domini sui, audiuit ab eo: Serue male & piger, quare non dedisti pecuniam meam numularijs? & ego veniens recepissim vtique quod meum est cum vsuris. Hanc nunc noscitur Evangelici, & securi de meritis Christi, ipsi nulla sibi merita acquirant. Sentient quandoque quam miserè & sibi & alijs imposterint. Porro sciscitatur Dominus ex Pharisæo, vter plus dilexerit, cui minus, vel cui plus donatum est: cumq̃e responderet plus amare cui plus remissum sit, suo nimirum se gladio confodit. Vnde est apud D. Gregorium in

Gratis iustificati n' s qui sine intelligendum.

Luce 12.
Scenerator
vbi dicitur
Deus.

Matth. 25.
Luce 19.
Lutherani vti
suisra sibi de
Christi meritis
blasphemantur.

Gregor.

T. V.
22

renocandum. Summa erga eum mansuetudine, non aliqua seueritate vritur. Deinde eidem mala illius, & mulieris bona enumerat.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni. Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos & capillis suis terfit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos.

Pulchrè conuincit Pharisæum minus eum dilexisse Dominum, quam poenitentem mulierem, idq; enumerando illi quæ ipse erga Dominum neglexisset, & quæ sanctissima peccatrix declarasset: tanquam illi diceret: Tu quidem Simon iustus tibi videris & hanc foeminam vt peccatricem despicias. Sed quod illa me longè plus amet, atque ideo iustior sit, quam tu, testatur illius in me maximi amoris argumenta, tuaquæ negligentia. Tu mihi & vilia & vilitata humanitatis officia non impendisti: hæc verò & magna & insolita mihi præstitit. Quare hoc? Quia & ipsa me vehementer amat, & ipsam amorem quibus potest indicijs demonstrat: & tu paruo aut nullo mei reueris amore. Si enim diligeres, non posses vtrique tam erga me negligens esse. Amor enim aut magna operatur vbi est: aut si operari renuit, amor non est. Noli ergo foeminam hanc despiciere, quæ etsi hæctenus muliebri leuitate & seculari vanitate seducta vitijs dedita fuit, tamen nunc toto ad me corde conuersa, vt cernis, agit poenitentiam & quidem publicam atque ex maximo amore proficiscentem, sicut eius facta probant. Notandum hic est, quod Dominus tam studiose Pharisæo enumerat opera sanctæ peccatricis. Cur id obsecro, nisi quia ei gratissima sunt benefacta nostra.

Gregor.

Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

Preuerb. 10
1. Pet. 4.
Iacob. 5.
Charitas
quantæ sit
efficacia
virtus.
Rom. 1.

Nimirum charitas operit multitudinem peccatorum. Charitas ignis est, quo quisquis feruenter accensus est, in eo peccati rubigo omnis ad purum excoquitur. Hæc est præclarissima virtus, regina virtutum, sine qua nec fides, nec vlla alia virtus Deo placere potest. Idiotæ quispiam, modo charitate præditus sit, grator est Deo, quam tota illa veterum Academicorum & Peripateticorum frequentia, de quibus Apostolus dicit, quod cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Hoc loco Dominus remissionem peccatorum charitati assignat, ne quis putet fidem solam ad obtinendam veniam sufficere. Remittuntur, ait ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitas autem, vt iam ante diximus, otiosa non est. Ergo ad consequendam peccatorum veniam plurimum conducunt opera bona, ex charitate proficiscentia. Mirum quod hæc nostri Euangelici adeo parumpendunt. Sed fortassis nolunt intelligere vt bene agant, & placeat illis error suus, tantum vt liberius suis possint indulgere voluptatibus. Itaque habeant sibi fidem suam, nos emamus à Deo aurum ignitum probatum, id est, vt

Remissionē
peccatorum
pendere ex
charitate.

Psal. 33.

Apoc. 3.

est, feruentem charitatem, vt non appareat confusio nuditatis nostræ. Charitas vult nos Deo, charitas Deo nos similes reddit. Sine charitate impossibile est placere Deo. Charitatem Basilius Magnus Christiani hominis quasi peculiare quoddam insigne vocat: atque vt idem ait, necessarium à nobis veluti à alienum charitas erga Deum requiritur, qua carere malum est, malorum omnium longè grauissimum. Denique idem autor est, qui charitatem non habet eum diuina gratia carere. Cæterum, quod Dominus addit, Cui minus dimittitur, minus diligit, non simpliciter accipiendum est, quasi semper minus diligit, quibus pauciora peccata remittuntur: sed quod causa, quam obrem minus nobis remittatur ea sit, quod minus diligamus. Quanto enim plus diligimus, tanto faciliorem impetramus indulgentiam: & quanto minus diligimus, tanto quoque minus nobis remittitur: idque ad peccati pœnam referendum. Nam qui vel tenuissima charitate præditus est ei culpa omnis remittitur, sed non pœna. Nefas est enim à Deo dimidiam sperare veniam, vt ait Hieronymus. Denique cum paucissimi perfectam habeant charitatem, certum est multos ex hac vita decedere ita vt nondum pœna omnis illis remissa sit: ipsique in purgatorijs locis tam diu cruciantur, donec plenè satisfaciant. Quod si ita non est, neesse est fateamur electos omnes perfectos mori: quod tamen ridiculum est dicere: cum multi valde imperfecti moriantur. Aut certè affirmare cogimur necdum plenè expiatis recipi in cælum: quod est contra illam scripturæ sententiam: Nihil inquinatum intrabit in illud. Attamen certissimum est hæreticos omnes, sine purgatorio decedere: siquidem mox vt spiritum reddiderint, merguntur in tartara.

Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

Quod iam Phariseo dixerat, etiam mulieri dicit, remissa ei peccata. Sed dum peccatrix sanatur, inde alij deterius languescunt, & Dominum sibi vsurpare non sua putant, quasi blasphemus sit diuina viens potestate, cum ipsi potius blasphemii fuerint. At quia Dominus huiusmodi calumnias sæpè experiebatur, contempsit, sententiamque suam mulieri confirmauit, addens: Fides tua te saluam fecit: vade in pace. Iam ante dixerat remitti ei peccata multa quod diligeret multum: cur ergo hic fide saluatam dicit, nisi quia eam vult fidem intellegi, quæ per charitatem operatur? Non dixit, sola fides, vel nuda fides, sed fides tua cum spe & charitate coniuncta te saluam fecit. Vade in pace. Peccatū inter Deum & nos discordiam facit. Ergo qui iustitiam colit, pacem secatur. Dum igitur Maria Magdalena in pace ire iubetur, nihil vtiq; aliud ei dicitur, nisi vt declinet à malo & faciat bonum, quod præstat pacem conscientie, per quam peruenitur ad illam pacem sempiternam, quam nobis in cælis pollicitus est Filius Dei Christus Iesus Deus & Dominus noster, si tamen & nos plangamus cum beatissima Maria Magdalena mala perpetrata, & toto corde ac feruenti amore ad Dominum conuersi, seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris.

Basilius.

Misus quare nobis remittatur causa quænam sit.

Culpam dimitti absque pœna peccatorum.

Hieronym. Purgatorium ne cessario astringendum.

Sapient. 7.

Fides quomodo saluare quempiastruatur. Galat. 5.

In pace ire quid sit. Psalm. 6.

Lucæ 1.

T. V.
22

*Quantis B. Magdalena vitis ante conuersionem, quantam et
quanta multiplici gratia post conuersionem abun-*
dauit.

VBI abundauit delictum, superabundauit & gratia, Rom. XV. Dicit huius
Apost. veritatem fratres charissimi facillime comprobare possumus
ex ea (cuius hodie diem festum colimus) muliere, quam etiam si con-
sideramus qualis ante & qualis post conuersionem fuerit, liquebit, sicut de-
lictum, ita & gratiam in ea abundasse. Quod multis ante conuersionem ob-
noxia fuerit peccatis, potest ex verbis Christi elici, quibus dixit: *Remittuntur
tibi peccata multa*, &c. Ex quibus conijci licet, quod iam cognomine vo-
cabatur peccatrix. Ita non pauca aut leuia & occulta commiserat peccata, quod
id nominis obtinuerat, ut omnibus nota esset peccatrix. Ideo etiam Phari-
saeus, cum tangeret Christi pedes Maria Magdalena, mirabatur, quod per-
mitteret se Christus tangi à tanta peccatrice. Nimirum si ad suos pedes ve-
nisset, ut dicit S. Gregorius, calcibus eam repulisset. Accedit, quod Marcus,
cum describeret Christum resurgentem primo Magdalene apparuisse, in-
refert: *Surgens Iesu prima sabbati, apparuit primo Maria Magdalena, de qua dicitur
septem demonia*. Non quidem fuit obsessa Maria Magdalena demonibus
corporaliter, sed peccatis, quibus demonum facta erat captiua atque man-
cipium. Hæc itaque peccata non leuia erant, quæ vocantur demonia. Vnde
etiam non est facile credendum, quod corpore fuerit virgo B. Maria Mag-
dalena (ut quidam dicere voluerunt) & mente tantummodo peccauerit, ut
que ornatu pretioso, curioso, lasciuo prouocans adolescentes suis studiis ac
moribus ad sui concupiscentiam, putantes eam inde honoratiorem facere,
cum tamen nihil modo derogeret gloriæ illius quod peccatrix olim fue-
rit: sed potius illi aliquid addat, ut postea dicam. Non tamen etiam credi-
derim publicam fuisse meretricem quandoquidem erat nobilis mulier &
diues: nec fuit adeo demens, nec adeo turpis, ut omnibus sese communi
exponeret. Poterat tamen habere, quo suam expleret libidinem. Fuit nihil-
ominus publica peccatrix vocata. Et inde dicuntur peccata eius tam graua,
quia fuit superba & lasciuia, ornans se ad prouocandam concupiscentiam
virorum. Namque hæc duo peccata nunquam sunt sola, sed plura alia ad
ea concurrunt. Erat itaque in vanitatibus vana & superba: vnde seque-
batur (quia diues erat) superfluis sumptus in vestium apparatu, & cetero-
rum muliebrium ornatum splendore, sicut superba ostentatione. Quia ve-
rò lasciuia erat, sequebantur & comitabantur alia peccata multa, de quibus
non est dicendum modo. Erat autem licet non publica meretrix tamen pub-
lica peccatrix, contenta vno aut altero amatore, & hoc palam. Quia ergo
scandalo erat multis, & occasio ruinae per vitam suam lubricam, nem ali-
cuius diabolus ad capiendas animas.

Quia verò ex vase iniquitatis volebat Christus eam facere vas dilectionis
(prædestinauerat enim illam ad magnam gloriam: quæ prædestinatio non
poterat

Quantis B.
Maria Mag-
dalena ante
conuersione
vitis subia-
cuerit.
Lucæ 7.
Ibidem.

Gregorius.
Marc 16.

Dæmonia
quomodo di-
cantur ex Ma-
gdalena cie-
ta.

Magdalena
num corpore
virgo fuerit.

Magdalena
an fuerit me-
retrix publi-
ca.

Magdalena
vt publica
peccatrix fu-
erit.

poterat esse inanis) attraxit eam, ut saltem prima fœminea curiositate ad prædicationem Iesu veniret. Dominus autem Iesus ita formavit verba sua, cum eam præsentem videret, illustrans gratiæ suæ radijs cor eius, ut sua dicta illam compungerent, ac cor eius penetrarent, & simul ignitis iaculis vulnerarent. Itaque compuncta dum plena cogitationibus atque suspirijs esset, totus mundus ei fiebat angustus (ita enim est grauatæ conscientiæ) nec poterat quiescere, donec ad Dominum rediret, quem iam credebat Deum & Salvatorem suum. Proinde discens illum inuitatum in domum Simonis quamvis de peccatis erubesceret, de quibus ante non erubuit, nō tamen erubescere penitere, sed abiecto pudore humano, ad conuiuium ingressa est in domum Simonis leprosi, sicut sanctus Lucas Euangelista in hodierno describit Euangelio. Verum quia hætenus, quomodo superabundauit delictum in B. Maria Magdalena, diximus. Nunc dicendum quomodo superabundauit in ea & gratia. Principio autem quia Apostolus dixit, *Scimus quoniam dilectus Deum, omnia cooperantur in bonum*, sciendū electis omnia cedere & cooperari in bonū, etiā peccata post conuersionē. Cernimus hoc in B. Maria Magdalena (quandoquidē omnino oportet eā excusare à peccatis) cui etiā peccata occasio fuerunt maioris profectus, & per consequens maioris gloriæ. Non quod peccata eius non fuerint peccata aut offensa, sed quod fuerint ei occasio salutis, & maioris feruoris ac profectus post conuersionem, quod olim ante conuersionem excefferat nimis peccando: quomodo intelligitur etiam quod Dominus dicit: *Gaudium est maius Angelis Dei super vno peccatore penitentem agente quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentis*. Tanto namque fuit feruentior postea in dilectione, quanto sentiebat tardē conuersam & in multis perperam se fecisse. Tanto magis curauit Deum non offendere, quanto plus ante offenderat. Tanto gratior fuit, quanto maius beneficium acceperat: quia sentiebat se ex ore inferni, ex faucibus diaboli ereptam, & tot donis ditatam. Ita ergo fuerunt occasio ei peccata in meliorem vitam, maioris meriti & gloriæ. Puto equidem nunquam tam sancta fuisse B. Maria Magdalena, nisi ante fuisset peccatrix: non quia peccata fecerunt eā sanctam, sed quoniam humiliauerunt eam valde: & illa eius tanta humilitas locum diuinæ gratiæ in ea præparauit. Nec tamen omnibus profuit sciam electis quod peccauerant. Aliqui enim magis accenduntur erga Deum, quod seruati sunt in innocentia: alij quod perducti sunt ad penitentiam. Secundum ergo dispositionem cuiusque hominis operatur gratia: & ut operetur gratia in eo, ita permittit Deus hominem aptari. Est itaque prima gratia magna Dei, quæ abundauit in beata Maria Magdalena, quod peccata eius ei Deus non solum ad damnationem non impurauit, sed etiam ad profectum ordinauit, & maiorem charitatem.

Secunda gratia quæ collata est in Beatam Mariam Magdalenam, est perfecta conuersionis. Paucis sanctorum donatum est, ut ex immunda vita, ad perfectam penitentiam venerint. Licet plures sint penitentes quam innocentes, tamen perfectam penitentiam agentes pauci sunt. Vnde Ambrosius plures dicit reperiri posse, qui innocentiam seruauerint, quam qui perfectam penitentiam egerint. Quod tamen intelligitur de perfectissima penitentia, quæ non solum peccata damnat, nec solum carnem castigat, sed

Magdalenæ
ut Christus
ad se trahere
coepit.

Lucæ 7.

Rom 8.
Ut electis omnia
cooperentur in bonum.

Lucæ 15.

Peccata vt B.
Magdalenæ
profuerunt.

Prima gratia
Magdalenæ
collata quæ.

Gratia conuersionis
perfectæ B.
Magdalenæ
collata quæ
pauci perfectæ
penitentæ.
Ambrosius.

T. V.
22

etiam vitia carnis & affectiones prauas, & concupiscentias mortificat. Tale
 pœnitentiam fecit B. Maria Magdalena: Videte eius contritionis seruos,
 videre eius dolorem: Non expectauit, vt solum inueniret Dominum, sed
 per conuiuas ingressa est, nihil curans quid homines cogitent, modo
 propitium sibi haberet Dominum. Cogitans autem quid pro munusculo
 Domino offerret, animaduertit Dominum terrena non amare: pro fatigatione
 tamen & calore releuando emit vnguentum nardi pyfici & instar aquæ
 rosæ facit fluidum ac refrigeratum, & accessit retro (olim iacebant discum-
 bentes, non sedebant: ideo retro expositis pedibus potuit appropinquare
 pro verecundia, stans secus pedes pro humilitate, & ex nimio dolore cordis
 fluebant ei tot lachrymæ super pedes Domini, vt illos lachrymis lacaret.
 O quid operabatur Dominus in corde huius mulieris? Capillos deinde suos
 accepit ad tergendum: quibus ante superba lasciuiuerat, eos nunc Domino in
 ministerium parat: & osculabatur pedes eius pro summa deuotione, & v-
 gebat. O quales cogitationes ascenderunt in cor eius. Christus manducabat
 in mensa foris, sed magis ibi conuiuium habebat cum anima B. Mariæ
 Magdalene, quam trahebat, liquefaciebat & vtebat in camino diuini dilectio-
 nis. O quam subita mutatio. Hæc peccatrix fuit, & filia diaboli: hodie filia,
 & discipula, & sponsa facta est Christi. Hæc malis peior erat: hodie multis,
 qui nunquam mortaliter peccauerunt, effecta est melior acque perfectior.
 Non dubium, quin multis innocentibus surrexerit sanctior: siquidem sancti-
 tas & essentialis meritum non ex operibus pensatur, sed charitate, quæ in
 opera meritoria sint. Charitas enim est, quæ fit vt mereamur: & quanto ma-
 ior est, tanto plus meremur. Potest quis ex peccatis surgere, & viuificari
 que donari maiori gradu charitatis, quam qui ante multis annis innocen-
 ter vixerit. Non quidem iste habet opera, sed habet maiorem charitatem:
 quæ tamen ociosa non manet, sed quo maior est, eo magis inde operatur.
 Videte quam temerè iudicari Pharisæus. Habebat ipse opera iustorum, sed
 non habebat tantam charitatem ad Deum, quantum mulier vna die con-
 uersa: ideo fuit illi prælata in merito. Temerè itaque iudicauit, & Mariam
 quasi peccatricem, quæ iam non erat, sed conuersa & maiori gradu charita-
 tis fulcita, quam ipse, & Christum iudicauit quasi nescientem, & qui debere
 non permittere se tangi ab ea persona, quæ omnium per ora volabat, tan-
 quam omnium hominum familiaritate esset indigna. Videte quam mem-
 nem debeamus iudicare etiam peccatorem, quia qualis in momento esse po-
 test, aut iam est mutatus in corde ignoramus: & subito resurgere potest in
 maiori charitate: ergo etiam in maiori sanctitate. Cum autem Pharisæus
 ille diceret intra se: *Si hic esset propheta, sciret vique quæ & qualis esset mulier, quæ
 tangit eum*, Dominus similitudinem ac paradigma opponit inter cæcæ, di-
 cens: Cui plus dimittitur, plus diligit, & cui minus dimittitur, minus diligit.
 Sed dicat forte hic aliquis: Ergo oportet me peccare multum, vt multum
 mihi dimittatur, & sic cum dimissum fuerit multum, diligam etiam multum.
 Non oportet te plus peccare, vt plus dimittatur: quia multi plura sub-
 mittunt peccata, quibus tamen nihil dimittitur: sed oportet te peccata ma-
 gis agnoscere, & te debitorem fateri. Quanto te magis agnoscis debitorem,
 tanto tibi plus dimittitur. Dupliciter namque possunt hæc intelligi verba
 scilicet

Lucæ 7.

Magdalena
quam subito
mutata.

Meritū quid
efficiat.

Iudicium te-
merarium
quod opere
viciandum.

Lucæ 7.

Ibidem.

felicitate cui plus dimittitur, &c. Est qui peccatum suum parum curat, nec agnoscit, quantum offenderit Deum. Iste quidem peccatum non magnipendit. Quare hoc? Quia non magno in precio habet Deum, quem offendit. Quicquid enim magni æstimat homo, id sanè non vult amittere, aut offendere. Quia ergo parum agnoscit, parum etiam dolet: & idcirco parum etiam dimittitur ei: & ideo parum etiam beneficii consequutum se putat ex hac dimissione peccati: Deo parum gratus est pro beneficio, parumq; diligit. Sunt qui minima plangunt ut alij magna, quia cognoscunt, quantum sit offenderit Deum. Isti pro minimis putant se magnos debitores: ideo multum dimittitur eis: atque hoc ipso multum diligunt pro magno beneficio, quod putant magnum, quia est verè magnum.

Alio modo possunt ita intelligi: Dimittitur homini non solum quod peccauit, sed etiam quod præseruatus est ab alijs peccatis. Qui ergo etiam in paucis deliquit, & à multis præseruatus est, si verè sapiens est, multorum se debitorem constituit, scilicet & eorum quæ incidit, & quæ incidere potuit: quæ utraque sunt dimissa: Alterum est, quia resuscitatus est per gratiam à malis, in quæ incidit: Alterum, quia præseruatus, ne incidere: quæ incidisset, nisi præseruatus fuisset. Multa dimissa sunt B. Mariæ Magdalene: quia & quæ commisit, & à quibus ne ea committeret, præseruata fuit. Hoc cum agnosceret, & utrobique debito se obnoxiam intelligeret, tanquam pro duplici magno beneficio dilexit multum. Ille autem qui minus agnoscit, minus diligit, minusq; dimittitur ei. Itaque non est ut plus pecces, sed ut perfectius agnoscas, in quo sis debitor: quia pro transgressione, & pro præseruatione à peccato debes. Id in quo transgressus es, non leuiter æstimes: ita fiet, ut & multa tibi dimittantur, & multum diligas benefactorè magnū. Tertio, abundauit in ea gratia ardentissimæ charitatis. Tanta fuit in ea charitas (ut etiam supradixi) ut in initio conuersionis multos excelleret, qui multo tempore innocentes Deo seruierant. Dilexit quoque multum, quia intellexit multa sibi dimissa, & quæ commisit, & quæ committere potuit. Eius autem dilectio primo liquet ex hoc, quia reconciliata, Christum deinceps nunquã offendit, nec amplius peccauit, sed semper de cætero innocenter vixit. Secundo, quia Christo semper adhæsit, prædicatū a se derat, ambulanti se quebatur, comedenti assistebat ad eius pedes. Quando adueniebat Iesus mortuo Lazaro fratre eius, ait: *Domine si fuisses hic non esses mortuus frater meus.* Quæ verba, ex nimio amore erga Christum protulit. O quantum fiebat illi: & hoc ex amore. Vocata cito occurrit ei, vocauerat enim Dominus eam, sciens quantum se diligeret. Cum aperiretur Lazari sepulchrum, timuit Maria pro Iesu, ne fœtore grauaretur, & ait: *Domine iam fœtet, &c.* O quam fidele cor pro dilecto gerebat. Patientè quoq; eum credenda est nunquam deseruisse. Quando Iesus amor suus pependit in cruce, illi quoq; lachrymabilis assistebat, tota vulnerata & compassione & amore. O quam libenter crucem Domini portasset, ac cum ipso mortua fuisset. Præter matrè enim Domini non fuit afflictius cor & morens magis, quam Mariæ Magdalene in passione Domini. Quare alijs abeuntibus, ipsa mansit sub cruce. Ideo etiam summa cum deuotione de facultatibus suis ministravit Domino, ut, inquit Euangelista. Bis quoq; Christum vixit viuentem: primo, conuersa: secundo, sabbato ante diè Palmarū.

Plus diligere eum cui plus remittitur, qui sic intelligendum.

Agnoscenti plus ignoscet.

Gratio charitatis quanta abundauit in B. Magdalena.

Magdalene charitas erga Christum unde percipit possit. Ioan. 11.

ibidem.

Magdalena quantum fuerit Christo compassa. Ioan. 19.

Luca 8. Luca 7.

T V
22

Item non sufficiebat ei, quod Ioseph ab Arimathia defunctum condierat, sed volebat etiam ipsa mortuum vngere, quod cum sexta feria non posset propter noctem, nec sabbato propter festum, altera post sabbatum, cum adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum: quia cum maxima angustia expectauerat tam diu, vt sabbatum transiret, vt suo posset amori satisfacere. Manit quoque alijs mulieribus recedentibus ad sepulchrum flens, nec poterat ab illo separari, neque noctem imminetent, nec milites armis strepentes ac sauiantes timens. Christum item agnoscens, voluit se in terra prostertere ad tenendos pedes eius. O quam festinanter cucurrit ebria præ amore ad amandandum alijs, cum Christus illi diceret: Vade, nuncia fratribus meis. Postquam autem ascendit Christus, ac si nihil haberet in terris relictum sibi charum, iuit ad desertum, ibique mansit XXX. annis, Deo & Angelis solis cognata. Quarto, gratia mira superabundauit in eius perfectissima conuersatione. Nam omnium virtutum fuit speculū. Humilima etiam fuit: ideo se non excusauit, cum soror eius Martha contra eam quæreret: sed Dominum eam non modo excusauit, sed & laudauit, vt haberetur etiam hodie vno in Euangelio. Nunquam laudauit Dominus aliquem in præsentia illius nisi B. Mariam Magdalenam: quod vtiq; non fecisset, nisi eius maximam humilitatem sciuisset. Fuit quoque patientissima: ideo non obmurmurauit, nec indignationem concepit aduersus murmurantes discipulos, Simonem ac alios, perfectior in hoc Apostolis existens, qui murmurauerunt contra duos fratres, Iacobum scilicet & Ioannem, cum vellent cum Christo sedere ad dextram & sinistram ipsius, & vindictam ignis de celo petebant contra eos, qui Christum recipere noluerunt. Quinto, in ea superabundauit gratia contemplationis. Siquidem in eremo XXX. annis eleuata in aëra manibus Angelorum septies per dies singulos caelestes hausit melodias, tota in Deum absorpta: & quo volebat ire, non suorum pedum vel aliorum hominum ministerio, sed ductu angelico ferebatur. Sexto, B. Maria Magdalena abundauit gratia singularis familiaritatis ad Christum. Nunquam enim poterat diu Christo abesse, & post Domini matrem non legitur Christus cuiquam se adeo familiarem exhibuisse, quemadmodum B. Mariæ Magdalenz. Apud quã ita libenter moratus, ita sæpè hospitatus est Christus? Cui ad suos peccati sedenti tam dulciter prædicauit. Cui adeo collachrymatus est flenti? Quem orantem tam cito exaudiuit? Quem excusauit ita studiose simul & amoretè apud discipulos? apud sororem? apud Simonem leprosum? Quem denique præsentem laudauit? Denique & excitatus à mortuis, primus illi apparuit, vt quam viuenti in carne mortali exhibuerat, etiam iam rediuitus & immortalis eidem exhiberet præcipuam & amicitiam & familiaritatem. Sed primo, abundauit gratia singularis intercessionis. Non dubium est, quin & cum Christus eam sibi habuit charissimam, ita promptissime illius precibus assenserit olim in terris, atque etiamnum annuat in caelis. Magna charitas inuincibilem Deum facile superat. Legitur Deus quondam ad preces Iosue iussisse Solem & Lunam totius diei & noctis spacio in eodem loco consistere, multaque alia scriptura sacra commemorat fecisse Deum suorum amicorum precibus adductum. Ita ergo & quidem multo magis ob hanc sibi tam eximie dilectam sponsam suam beatam Magdalenam multa fecit & facere

Gratia virtutum vt abundauit in B. Magdalena. Luc. 7.

Matth. 27. Luc. 8.

Gratia contemplationis vt abundauit in B. Magdalena.

Gratia familiaritatis erga Christum quanta abundauit in B. Magdalena. Luc. 10. Ioan. 11. Matth. 26. Luc. 10. Luc. 7. Marc. 16.

Gratia intercessionis quanta abundauit in B. Magdalena. Ioque. 6.

non desinit. Possemus id multis probare exemplis, nisi prolixitatem vitare-
mus. Nec est sanè ullis opus exemplis, ubi per se quilibet potest nullo nego-
cio intelligere Dominum nostrum Iesum Christum nihil illi negare aut
potuisse aut posse, quam & ipse tanta sibi familiaritate coniunxit, & à qua se
tam voluit vehementer amari. Nihil enim tam est efficax ad impetran-
dum, quam ingens charitas. Neque verò quisquam aut potest, aut debet am-
bigere, quin sicut olim adhuc in terris beata hæc Maria Magdalena feruētis-
simo Christi flagrauit amore, ita hodie sit Seraphicis adiuncta spiritibus, &
inter illos ignitissimos lapides cælestis Hierusalem tanquam gemma præ-
clarissima niteat, ardens inextimabiliter, & mirificè resplendens, tota fer-
uens amore incomparabili, & luce micans ineffabili, totum illud cæleste
palacium mirum in modum amoris suauitate, & splendoris serenitate ex-
hilarans. Quam nos charissimi modis omnibus decet & assiduis precibus
nobis apud Deum patronam conciliare, & virtutum ac benefactorum eius
exempla imitari. Peccatricem quondam fuisse agnouimus, sed relictis vitijs
perfectè penituisse. Et nos ergo, qui sine peccatis non sumus, malè hæc-
tenus vitam deploramus, & contractas vitiorum maculas penitentiæ
lachrymis eluamus. Voluit Omnipotens Deus hanc insignem peccatricem
ad maximam suæ amicitiz prærogatiuam euehere, vt nos non desperemus
post perpetrata peccata, sed de diuinæ pietatis visceribus confisi redeamus
ad implorandam diuinam Dei misericordiam, & superioris vitæ damnata
cæcitate ac nequitia, deinceps castè, religiose & iustè viuamus. Non vincitur
Deus multitudine scelerum ubi vera & sincera agitur penitentia. Iam nunc
resipiscamus, & laqueis dæmonum excussis, confugiamus ad pium Patrem:
Ecce expectat nos. Sit animus rectus & candidus, qui vitia oderit, & sit de-
ditus pietati. Curramus, properemus, iam hoc ipso puncto, hoc momento
conuertamur. Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia. Hodie licet,
cras fortassis non dabitur oportunitas. Si ex animo cupimus redire cum
Deo in gratiam, & totos nos componimus ad illius voluntatem, nulla erit
in impetranda venia difficultas. Adiuuet infirmitatem nostram, qui pro-
pter nos infirmus fieri dignatus est Iesus Christus Dominus noster, qui cum
Patre & Spiritu sancto viuat & regnat Deus, per infinita secula seculorum,
Amen.

SERMO II. IN EADEM SOLENNITATE.

*Seruare innocentiam, & ad vitam spiritus per penitentiam
resuscitari, verumque diuina gratia esse
munus.*

Postquam conuertisti me, egi penitentiam. Hieremiæ XXXI. Hæc verba
non absurdè possunt tribui beatissimæ Magdalene penitentiam a-
genti, quasi quæ Domino Christo eius feruorem contra Pharisæum
laudanti respondendo, laudem declinauerit, dicens: Postquam conuer-
tisti me, egi penitentiam, ac si dicat: Antequam tu me conuertisti qualis fue-
rim, & omnis ciuitas, & hic Pharisæus nouit, modo verò postquam con-
uertisti me, egi penitentiam, hoc est, non ego laude digna sum. Tuum ag-
noscio donum tua gratia est, quod ago & quod sum. Penitentiam ago, sed
000 3. post-

Magdalena
seraphicis
creditur in-
seria choris.

Titum 2.

Ambrosius.

Lucy.

Ad quodlibet
opus bonum
quæ duo con-
currant.

postquam conuertisti me. Duo huius thematis verbis innuuntur, quæ ad beatæ Magdalenz conuersionem & pœnitentiam, imo & ad opus quodlibet bonum concurrunt, Dei gratia & humana voluntas. Quicquid boni facit homo, utique adscribitur, magis tamen gratiæ Dei, utpote origini & causæ, quam humanæ voluntati: quamuis iuxta communem legem, neque sola gratia sine hominis arbitrio, neque arbitrium hominis siue gratia bonum, quod verè sit bonum ac æterno præmio dignum, efficiat. Nam quicquid solius gratiæ est, Dei non hominis est: quicquid humanæ solius industriæ est, id præmio æternali dignum non est. Dicit igitur beata Mag-

Micrem. 31.

dalena: *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* Quisquis saluatur, ex gratia Dei saluatur, quæ prædestinat homines: hunc per innocentiam seruans, alterum per pœnitentiam liberans. Quare autem Mariam Magdalenam, non seruauerit innocentem, ut Margaretam aut aliam quamuis sanctam virginem, non est nostrum inquirere. Secretum Dei est, quod tamen lateat nos, apud Deum tamen nulla caret ratione. Porro, hoc nobis compertum est, vtranque à Deo prædestinatam: hanc per innocentiam, illam per pœnitentiam, vtranque Dei gratia salutata. Quæ gratia in neutra vacua fuit, sed operibus bonis omnibus abundare fecit. Potuisset pius Dominus Magdalenam æque ac Margaretam innocentem præseruasse. Atque rursum potuisset benignus Dominus Margaretam (si non præseruata cecidisset) quemadmodum Magdalenam per pœnitentiam resuscitasse. Ambæ erant electæ. Diuinæ gratiæ munus est, & innocentem seruare, & ad pœnitentiam, imo ad inocentiã, peccantem resuscitare. Adeo autem bonus est Deus, ut peccata dimittat, & malè actæ vitæ reatus, errorestq; non impropere. Adeo bonus est Deus, ut pœnitentem haud minus atq; innocentem diligat. Adeo bonus est Deus, ut opera bona pœnitentis sicut innocentis (modo vtriusque alioqui par sit deuotio aut charitas) æqualiter respiciat, æqualiter coronet. Adeo bonus est Deus, ut eius, qui ex multis peccatis cõuersus est, nolit etiã iniquitatẽ recordari. Quid est non recordari? Non vlscisci. Non dico, quod nolit satisfactionem & pœnitentiæ lamenta exigere. Neq; enim Deum laudare est, ita eius statuere misericordiam, ut iustitiam prætermittamus. Misericorditer iustus est, & iustè misericors. Itaque peccata nõ vult vlscisci, nõ vult recordari, si tu vlus, si tu recordatus fueris. Audi quomodo nõ recordatur. Tantam, si post peccata ad ipsum conuersus fueris, præsto est dare tibi gratiam, quantã, si nunquam peccaueris. Tãtam mercedem operibus tuis daturus est, vel ijs, quibus peccata diluis, quibus iustitiæ ipsius satisfacis, quantam daret, si nihil haberes in te puniendum. Hoc est, opera pœnitentiæ, opera satisfactionis, & quæcumq; agis pia, quibus peccata, id est, poenã peccatorum tuorum redimis, eandẽ tibi mercedẽ, eandem gloriã comparabimus, ac si nunquam peccasses, aut nihil, pro quo satisfaciendum esset, haberes. Et quid hoc mirandum in bonitate diuina? quandoquidem & in innocenti, & in pœnitente idem est ipse, qui opera bona, non sine nobis, sed per nos operatur: idem est ipse qui opera in nobis bona, quæ operatus est, nobis donat, id est, pro merito nobis computat, illaque tanquam nostra coronat.

Quam bonus
sit Deus pœ-
nitentibus.

Pœnitentiũ
peccata quo-
modo nõ re-
cordetur
Deus.

Consolatio
magna pœ-
nitentibus.

Consolatio idcirco est magna pœnitenti, meruenti fortasse, quia peccatis fuit olim multis obstrictus, ne nihil hic ad gratiã, & subinde etiam ad gloriã

gloriæ augmentum possit mereri, propterea quod multa sibi ahuc restent peccata, per satisfactionem nondum vsquequaque deleta. Siquidem vno eodemque opere meritorio, & peccata tua, hoc est, pœnam peccatorum tuorum, cui obnoxius es, diluit Deus ó pœnitens, & pro eodem, vt dixi, opere, ac si nihil satisfacere deberes, aut nullum peccatum haberes delendum, sempiterno te pœmio donat. Neque enim personarum est acceptor Deus, neque improperat, quæ dimittit peccata, neque pœnitentis minus valent opera, quam innocentis, cæteris (vt dici solet) paribus, cum in gratia Dei vterque sit & in charitate operetur: & plerunque fiat, vt pœnitens, qui nondum satisfecerit pro peccatis patrat, in maiori sit gratia, & perfectiori operetur charitate, quàm qui singularia non habet, pro quibus satisfaciatur, grauius peccata. Hæc dico ob nonnullorum pusillanimitatem, qui interdum dicunt: Ego nihil boni per Dei possum gratiam operari, quo merear, quia tot sum obrutus peccatis veteribus, vt si quæ facio bona, cuncta transeant, vixquæ sufficiant ad satisfactionem peccatorum. Humilitas quidem toleranda esset horum, qui ita sentiunt: error tamen nihilominus etiam amouendus est, & credendum opus bonum pro peccatis, si peccata inuenit, satisfacere iuxta diuinam iustitiam, & idem opus simul pœmio æterno à Deo coronari, iuxta diuinam clementiam, idquæ diuerso respectu, videlicet propter opus sibi laboriosum aut pœnale, quod operans operatur, & propter charitatem, ex qua operatur, seu ad operandum mouetur. Transeo hæc, quia amplior est materia de essentiali & accidentaliter merito aut pœmio apud Theologos: qui hic vult, potest eruditionem petere vberiore ex doctoribus super libros Sententiarum. Mihi consultissimum videtur pro peccatis suis quemuis debere Christi passionem ac merita offerre, sua opera (quamuis quæcunque possit bona, debeat vnusquisque indefinenter operari) despiciere, merito ac pœmio indigna æstimare, ad solius Dei gloriam, non vt mercenarius, sed vt filius operari bona, & ex sola Dei misericordia à Christo regnum cælorum expectare. Ad beatam Magdalenam reuertamur. Postquam conuertisti me, inquit, regi pœnitentiam. Conuersa est à vita impia ad piam, ab iniquitate ad virtutem, à via damnabili ad salutarem. Qualis ante conuersionem fuerit, Euangelista satis indicat, qui septem dæmonibus eam, id est, (vt Gregorius dicit) cunctis vitijs plenam, asserit liberatam. Publica fuit peccatrix, non meretrix quæ vnum (vt creditur) alterumve palam admiserit amatorem. Quo impudicitæ iuxta ac inuerecundiæ suæ exemplo multos scandalizabat, & lasciuis moribus ornatuquæ fastuoso, ad sui concupiscentiam non paucos illiciebat.

Cæterum vt dixi, credenda non est fuisse publica meretrix, sed publica, id est manifesta peccatrix: de cuius virginitate, id est, virum corpore corrupta fuerit nec ne, disputent alij: nobis hoc certum sit, modo neq; gloriæ, neq; eius quicquam demere sanctitati, aut in Ecclesia honori, quod peccatis olim captiua fuerit diaboli. Quæ contrito tandè sub pedibus hoste, ad amplexus recepta venerit Dei, cum nos quoq; in ea nihil minus, sed magis venerationem sanctissimam pœnitentiam, quam in nonnullis alijs iugè innocentiam, Vnde pariter liquet quam nihil gaudio, quàm nihil sanctorum deroget

Operis pœnitentialis virtus duplex quæ sit. Acto. 10.

Passio ac merita Christi quomodo pro peccatis nostris offerenda sint.

Hierem. 17.

Marc. 16. Gregorius.

T. VI
22

honoris, quod non minus in celo iam manifesta eorum prava sunt opera quibus per gratiam Dei sunt erepti, quam bona, pro quibus sunt coronati: quandoquidem etiam nos in mundo afficimur suavius quandoque ad eos sanctos, qui calcata carnis spurcicia superatisque cultis illecebris, quibus olim subdebantur captivi, ad ardentissimum Dei amorem creduntur euasisse, quam ad eos, qui semper innocentiae leguntur palmam tenuisse. Itaque B. Magdalena, quae ex seipsa diabolo se mancipauerat famulam, & eius captiuitatem (sicut piscis hamum) vnde se redimere non potuit, sponte intrauerat, Christi miseratione (quod fatetur) educta est. Illuminata respuit, poenituit, ad medicum & Saluatorem cucurrit, & totam se in sanctificationem & holocaustum obtulit. Per quae peccauerat, per quae Deum offenderat, per haec eadem & Christo seruiebat. Ambulauerat frontosa post concupiscentias & delibertia sua, accessit humilis ad pedes Domini: & ne quicquam verecundiae desisset, stat retro secus pedes eius flens & tremens. Quae oculis lasciuientibus ad peccata & alios saepe illexerat, & ipsa illecta fuerat, nunc lachrymis eos affligit ad eum exuberantibus, ut pedibus Domini non modo maderaciedis, verum lauandis etiam sufficerent. Quae crinibus ad vanitatem, & diaboli seruicium se extulerat, modo in Domini ministerium illis vtens, ad pedes eius tergendos se inclinat. Ore scurrilia impudicaque euomuerat, quo nunc suavissimos Domini pedes amantissimo affectu lambit. Auribus male suauis, sed pestifera colloquia audiens, lethale animae virus hauserat, at nunc ad pedes Domini auscultans vitae antidotum pectore recodit. Nihil in ea manet ociosum, totam se reddit Domino, quae totam se Domino abstraxerat. Ita & nos fratres charissimi, qui ad poenitentiam agendam isthoc exemplo prouocamur, in poenitentia feruentes simus. Non vacemus ocio, non inutilibus colloquijs, non infructuosis operibus tempus amittamus. Pretiosa tempora sunt quibus aut ingentia lucra possumus diligentia nostra mercari, aut inertia perdere. Quicquid boni gesimus, quicquid laudabile agimus, modicum sit & vile in oculis nostris: & quam multa reprehensibilia admittamus, e regione conferamus. Deinde etiam pensemus si quae bona operamur, quam paruo seruore cuncta fiant, quam parum sincere, quam parum integre, quam multis imperfectionibus vitata, & quam multis defectibus sint inquinata. Adeo ut merito non modo de peccatis nostris, sed etiam ex bonis nostris dolorem atque lugendi materiam inueniamus: benignitate vero optimi & misericordissimi Dei pacem & consolationem. Huic attribuere, huic gratias agere, huic acceptum referre debemus, quicquid boni agimus aut habemus. Qui ex peccatis ereptus est, Domini misericordia ereptus est: & qui a peccatis seruatus est, Domini misericordia seruatus est. Igitur id Domino, non sibi acceptum referat, se vero omnium, quae vel male egit, vel male acturus fuisset, si Domini manu praeseruat non fuisset, reum atque debitorem cognoscat, ut iuxta Euangelium hodiernum multum diligit, quum multa sibi dimissa intelligit. Cui enim minus dimittitur (inquit Dominus) minus diligit. Non praeseruntur hac sententia peccatores poenitentes innocentibus. Nec ut plus pecces necessarium est, quo Deo non desit copia multum dimittendi. Hoc enim quidam putantes, quomodo inquit, multa dimittuntur paucis delinquenti? Itaque si minus

Magdalena
vix se coram
Deo in holo-
caustum ob-
tulit.
Eccle. 11.
Luca 7.

Poenitentia
feruenter in-
sistendum
esse.

Ibidem.
Luca 7.

minus diligit, cui minus dimittitur: ne minus ego diligam, nunquid non necesse est, vt multa admittam peccata, quæ multa dimittantur? Vbi enim non multum peccatur, quomodo multum dimittitur? Vbi autem non multum dimittitur, etiam non multum secundum Christi (vt apparet) verba diligitur. Vt ergo plus diligam, multum dimittatur: vt multum dimittatur, plus peccetur. Nequaquam. Non illi plus dimittitur, qui plus peccauit, sed qui plus cognoscit & dolet se debitorem. Neque enim admissio, sed cognitio & contritio peccatorum causa est veniæ. Quæ quanto fuerit grandior, tanto est etiam remissio maior. Itaque tantum tibi dimittitur, quanti te cognoscis debitorem. Noli timere quia grauiora non admittisti peccata, parum cognoscere possis, modicum debeas, modicum tibi dimittatur, & modicum inde diligas, cognosce & ex animo dic te debitorem, non modo eorum quæ fecisti, verum omnium etiam malorum quæ facere potuisti: quæ ne faceres, diuina protectione prohibitus fuisti. In quæ enim peccata quæ cæteri inciderunt, non cecidisses & tu, si Deus te non præseruasset? Debes igitur Deo, & vbi cadentem à peccatis iterum te erexit, & vbi casurus eras, ne caderes, præseruauit. Vtraque tam innocens, quam penitens vita donum Dei est. Verique gratiæ est debitor, & qua dimisit peccata dans veniam, & qua dimisit peccata, præueniens ac præseruans per gratiam. Quid autem interest, an præueniat, an sequatur te gratia saluans? Nobilius certè beneficium est innocentiam semper seruata, quam restituta. Sicut medicus ille nobilius te curauit, qui cum in malam incidere debuisses ex vicio tuo valetudinem, per artem suam ille à morbo te sanum præseruauit, quam qui postquam diuino languore confectus es, sanitati restituit. Ita debes Deo non tam pro peccatis à quibus te liberauit, quam à quibus te semper liberum præseruauit. Quapropter omnium erga Deum constituere te debitorem, recognoscendo, dolendo, gratias agendo, quia reuera extra Deum omnium es debitor. Da laudem & honorem Deo, qui reuera multa tibi dimisit per gratiam iustificantem: plura tibi dimisit, idque nobilius, per gratiam præseruantem. Quæ omnia quanto clarius cognoueris, quanto magis pensaueris, quanto item quum plura tum maiora esse debita tua quæ tibi dimissa sunt, æstimaueris, siue admissa, siue quantum in te fuit, admittenda, & beneficium hoc & præseruationis & reconciliatio- nis, pluri duxeris, tanto etiam benefactorem hunc tuum, tanto Dominum Deum hunc tuum plus amabis. Cæterum suadeo innocenti ne suam innocentiam magni æstimet, neque alterius lapsum contemnat, nulli denique se præferat. Suadeo penitenti, ne penitentiam opera sua velit metiri, nec æstimare quod satisfaciat. Cognoscat se debitorem iustitiæ diuinæ, cui se imparem vt reddere possit, sentiat. Ad benefaciendum magis animo moueatur Deo placendi, quam pro peccatis satisfaciendi. Credat quidem Deum satisfactio- nem exigere, sed ad satisfaciendum se impotentem esse. Igitur Christum roget, vt ipse pro se suis meritis satisfaciat, sequens Christo in omne eius beneplacitum offerat, qui est amandus & benedicendus in secula, Amen.

Cuius plus dimittitur.

Debitor se Deo agnosce debet homo non solum pro commissis peccatis, sed etiam à quibus præseruatus est.

Innocentiam semper seruata beneficium esse nobilius quam restituta.